



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118510**

§. 114. Dominici Soto oratio in favorem Theologiæ Scholasticæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](#)

§. CXIV.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1546.*Dominici Soto oratio in favorem  
Theologiæ scholasticæ.*

**Q**uemadmodum Abbas ille Cassinen-

Pallav. n. 3.

sis eruditione ac scientia insignis  
Theologiæ scholasticæ studium depri-  
mere videbatur, ita Dominicus Soto ex  
Ordine Fratrum Prædicatorum a summo  
Ordinis sui Præposito delegatus, illoque  
ævo in scholasticis disciplinis nulli se-  
cundus prolixum habuit sermonem, in  
quo scholasticæ Theologiæ studium Re-  
ligiosis omnino permittendum esse, de-  
monstrare fategit, Patresque hortatus  
est, ne sacras literas interpretandi mu-  
nus promiscue Monacis imponerent;  
quippe qui diuturnis precibus, meditatio-  
nibusque obligati, vel nimium gravaren-  
tur, vel a veteri institutione abduceren-  
tur, ubi sacrarum literarum studium eis-  
dem injunctum foret; quod Carthusianorum  
exemplo præcipue confirmavit.  
Potius igitur, inquit, labor bujusmodi  
Mendicantibus relinquatur, quorum est  
& scholas & conciones babere. Postea  
acriter & copiose peroravit, ne sacra-  
rum Scripturarum exedris supremus lo-  
cus destinaretur; divina enim oracula  
non possunt penitus sine acumine schola-  
stico penetrari: hoc autem studium cavil-  
los

Sæcul. XVI. los appellant *ii*, qui ex ingenii bebetudi-  
A.C. 1546. ne illud percipere non valent, tenebrasque  
 nominant eam lucem, a qua sentiunt oculorum imbecillitatem sibi perstringi, aut  
 illi, qui sinceram ab adulterina Scholasti-  
 ca non secernunt, adeoque disciplinam uni-  
 versam debonstant nomine partis minus  
 quidem propriæ, sed copiosioris, magis-  
 que sibi experimento compertæ: res quo  
 pretiosior, eo frequentius adulteratur.  
 Eadem ratione posset pariter postbaberi  
 inter externas divitias adamas sapientia,  
 & aurum æri, quod ea sapius simulen-  
 tur, atque inter animi opes despiciende  
 forent universim sapientia ac sanctimo-  
 nia, quod sæpe earum specie fastus & by-  
 pocrisis lateant. Quid tandem est schola-  
 stica, nisi ea disciplina, quæ simul con-  
 jungit duo lumina homini a Deo indita,  
 Naturæ videlicet ac Fidei; quorum al-  
 terum sæpe cum altero fœderatum, nun-  
 quam certe illi adversum se habet, & utro-  
 que sibi affulgente, quam altissime potest,  
 subit divina mysteria, & prava divini  
 Verbi interpretamenta dispellit? Hærti-  
 tici in Scholasticam odium capitale pro-  
 fitentur; ea quippe Sol quidam est, qui  
 eorum spectra dissolvit: illi obtrectare  
 perinde est, ac fœdus cum Protestantibus  
 inire, & Ecclesiam validissimo arma-  
 mentario spoliare.

Hæc